Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



tus

354

Licaonice dicentes Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos
et vocaverunt Barnabam Iouem paulum uero mercurium quia ipse erat
dux verbi Sacerdos quoque iouis qui erat ante ciuitatem thaurus et coro
nas ante ianua afferens cum populis volebat eis sacrificare Quod ut au
dierunt apli paulus et Barnabas discissis tunicis suis exiluerunt
in turbas clamantes et dicentes Viri quid hoc facitis et nos mortales
sumus similes uobis homines annuntiantes uobis ab istis uanis conuer
ti ad deum viuum qui fecit celum et terram mare et omnia quae in eis sunt qui in prae
teritis temporibus dimisit omnes gentes ingredi uias suas Et quidem non sui
testimonio sunt inuisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta
conspiciuntur sempiterna quoque eius virtus et diuinitas ut sint inexcusabiles Haec
cum dixissent uix sedauerunt turbas ne sibi immolarent Superuenerunt autem quidam
ab antiochia et iconio iudei et persuasis turbis lapidantes paulum
trahebant extra ciuitatem existimantes eum mortuum esse Circumdantibus autem eum
discipulis surgens intrauit ciuitatem et postero die profectus est cum Barnaba in derben Cumque euangelizassent ciuitati illi
et docuissent multos redierunt Lystram et iconium confirmantes
animas discipulorum exhortantes ut permanerent in fide et dicentes Quia per multas tribulationes oportet nos
intrare in regnum dei Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros et orassent cum ieiunationibus commendauerunt eos domino
in quem crediderant Transeuntes autem pisidiam uenerunt in pamphiliam
et loquentes in perge uerbum domini descenderunt in attalia et inde nauigauerunt antiochiam Vnde erant traditi gratiae dei in opus quod
impleuerunt Cum autem uenissent et congregassent ecclesiam retulerunt
quanta fecisset deus cum illis et aperuisset gentibus hostium fidei
Morabantur autem cum discipulis non modicum

IV

Et quidam descendentes de iudea docebant fratres quia
Nisi circumcidamini secundum morem moysi non potestis saluari fac
ta autem seditione non minima paulo et Barnabae aduersum
illos statuerunt ut ascenderent paulus et Barnabas et quidam alii
ex aliis ad apostolos et presbyteros in ierusalem super hac quaestione Illi igitur
deducti ab ecclesia pertransibant phenicen et samariam narrantes con
uersionem gentium et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus
Cum autem uenissent ierosolimam suscepti sunt ab illa ecclesia et ab apostolis